

No. 187. 1432. 22. Juni.

Bischof Johann von Meissen bestätigt auf Nachsuchen des meissner Vicars und Altaristen des Maternaltars in dem Hospital bei der Frauenkirche die diesem Altar früher und neuerdings zugewendeten Zinse und trifft Anordnung über Geldleistungen an die Hospitaliten, Verpflichtung des Altaristen zur Abhaltung einer wöchentlichen Todtenmesse und Ersatz der erwachsenden Unkosten an denselben.

Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis ad perpetuam rei memoriam etc. Cum divini nominis gloriam attollere etc. Hinc est quod nos ad instantiam discreti viri domini Andreae Langen vicarii Misnensis nec non rectoris capellae sive altaris sancti Materni in hospitali in Dresden siti extra muros apud ecclesiam beatae Virginis humiliter supplicati petitione humillima ac devota certos infrascriptos annuos census et redditus dicti altaris, puta unam sexagenam grossorum in praetorio dicti opidi Dresden ac in domibus areis et hortis, de quibus possessores earundem tenentur singulis annis solvere et praesertim prout nunc possident infrascripti et eorum successores, primo Finger sedecim grossos, Paulus Toppher quatuordecim grossos, item de domo Heinrici Siffridi unum grossum, Toltschin octo grossos, campanista apud beatam Virginem septem grossos, Theodoricus in platea Pirnensi duodecim grossos, Gelhor quinque grossos, Nicolaus Lutifiguli octo grossos, Scheffer in Plauwen duos grossos et Romer sedecim grossos, qui quidem supradicti census licet a praedecessoribus nostris divae recordationis confirmati praesumuntur, tamen litterae confirmationum eorundem non habentur et ut creditur per negligentiam perditae ac alias abstractae existunt; insuper perpetuos census proventus et redditus comparatos ad altare praedictum videlicet in villa Merewicz^a) super uno manso et tribus agris unam sexagenam et quatuor grossos, unum modium tritici, unum modium avenae, decem pullos, quinquaginta ova, duos caseos valentes quatuor hellenses, ut lucidius et clarius continentur in litteris emptionis validi militis Bossonis Vicztum, incorporationis quoque et appropriationis desuper confectis illustris principis ac domini domini Frederici lantgravii Thuringiae et marchionis Misnae, auctoritate nostra ordinaria approbare ratificare dictosque census nobis oblatos cum aliis proventibus ac bonis pio paterno affectu suscipere ipsosque ac ipsa ecclesiasticis bonis annumerare et incorporare et ipsam capellam sive altare titulo ecclesiastici beneficii insignire dignaremur. Nos igitur Johannes episcopus — capellam seu altare census et annuos redditus praedictos approbamus ratificamus et auctoritate nostra diocesana in dei nomine confirmamus, decernentes census ac proventus — ac bona supradicta ecclesiastico foro et iuri in antea debere subiacere ac per altaristam eiusdem perpetuis temporibus possideri percipi et levare, invasores et destructores eorundem tamquam sacrilegos ecclesiastica districtione fore et esse puniendos. Rector vero capellae seu altaris qui pro tempore fuerit de censibus et redditibus in Merwicz comparatis in singulis terminis et festis Walpurgis quindecim grossos, in festo Michahelis similiter quindecim grossos pauperibus

a) Merbitz, Par. Briessnitz.